

**[1:<sup>b</sup>] Capita catechismi.**

Quid vocatur catechesis et vnde est appellatio?

Catechesis est prima institutio, qua rudioribus summa doctrinae christianae certa methodo comprehensa traditur. Nomen est ἀπὸ τοῦ κατηχεῖν, quod significat viua voce erudire et ab auditoribus doctrinam repositere. 5

Quae sunt praecipua capita catechismi?

Quinque: decalogus, symbolum apostolicum, oratio dominica, doctrina de poenitentia et absolutione, doctrina de sacramentis.

**De decalogo.**

10

[2:] [Holzschnitt: Empfang der Gesetze durch Mose<sup>c</sup> (Dtn 10,4)] Quid continet decalogus et vnde habet appellationem?

Decalogus continet summam legis moralis et nomen habet a numero decem praeceptorum. Sumpta est autem vox ex 10. capite Deuteronomij, vbi dominus dicitur scripsisse decem verba, quae locutus erat de medio ignis in monte Sina.<sup>19</sup> 15

Quomodo diuiditur decalogus?

In duas tabulas: Prior tabula docet de cultibus, qui immediate Deo praestandi sunt. Posterior tabula praecipit [3:] de officijs erga proximum. Vtriusque tabulae summam et ordinem Christus complexus est Matthaei 22: „Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua et ex tota mente tua. Hoc est primum et magnum mandatum. Secundum simile<sup>d</sup> huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis tota lex consistit<sup>e</sup> et prophetarum.“<sup>20</sup> 20

<sup>b</sup> Nicht in A und B.

<sup>c</sup> Nicht in A und E.

<sup>d</sup> simile est: E.

<sup>e</sup> pendet: E.

<sup>19</sup> Vgl. Dtn 10,4.

<sup>20</sup> Mt 22,37–40.